



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi
Societatis Iesv**

Cepari, Virgilio

Antverpiæ, 1630

Religio & amor eius erga SS. Eucharistiæ mysterium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

*Interna
animi pax.*

per potitum fuisse animi pace , ac tranquillitate , nullo vñquam eius voto dissentiente , cum diuinæ voluntatis nutu . Sic enim dicebat : *In desolationibus magnam sensi quietem animi* . Dei prouidentiâ atque amore ego arbitratus sum euenissem , vt interuallis se Deus illi subduceret , redderetque , ne funditus infirmam debilemque eius constitutionem afiduitate corrumperet . Si ad exeundum ambulandumve inuitaretur nondum perfectâ meditatione , recusabat scilicet , cauſatus per plateas non æquè ac domi fluere sibi ex sententiâ orationem .

Hoc illi tempus deliciosissimum erat , quod bis quotannis triduanæ animorum collectioni ante semestrem votorum instauracionem indulgetur , quodque solemniorum vacationum Autumnalibus ferijs , ad facienda spiritualia exercitia ab omnibus applicatur : dicereque consueuerat , per illos se dies locupletare loculos suos , ad emendum pañem refectionis spiritualis , in venturas forte necessitates .

*Vota ſep̄e
inſtaurat.*

Bis quotidie , semel manè , iterum vesperi , (quoties item ad sacram Synaxim ibat) mos illi , renouare Religionis vota , verbis formulæ solitæ repetitis .

*Religio &
amor ergo
SS. Eucha-
rictia my-
ſterium.*

Singulari amore iuxta ac reuerentiâ religioneque augustissimum Eucharistiae mysterium

rium prosequebatur, ad quam quinques, sexies, septiesve visebat per diem, manè vesperaque, eundo & redeundo è Scholâ; egrediendo regrediendoque domum; tempore prioris mensæ, quoties secundæ accumbebat; denique post binas quasque horas, quas studijs impenderat continenter, atque alias non raro. Incredibili se diligentia ad sacram Synaxim præparabat. Rogatus à sodali suo, cur nollet illo vacationum die, quantumvis solemnii aut religioso, synaxim instituere; Quia, inquit, cum ambulandum mihi, aut in vineam eundum est, non ea possum animi quiete ac Religione frui, quâ pars est tantæ Maiestati. Quare nec rogatus prodibat, cum ijs sibi sacris defungendum erat. Dicebat, quoties Angelico illo cibo reficeretur, experiri se nouum quoddam spiritus stabilitamentum; cum verò per hebdomadam se abstinuisse, affici quadam fame, quam solo hoc epulo explere posset. Magno sane suauissimæ huius escæ tenebatur desiderio: ac quoniam Scholaisticis nostris ea vesci non licet, nisi Dominicis Festisque diebus; ipse, quoties præterea dies incidisset insigni aliquâ religione eximus, si domi nimirum esset, eius sumendæ copiam impetrabat. Frascatæ igitur ferijs maiorum vacationum, semel per hebdomadam, solito amplius ad Altaris mysteria ac-

ria accedebat , otio sibi ante meridiem indicto . Si fortè Festi alicuius anniuersarius dies in Dominicum incidisset , tum scilicet dolentis in morem , Hac , inquietabat , hebdomade conuiuij vnius tanti iacturam facimus.

*Apparatus
ad sacram
Synaxim.*

Quot verò excitatis sanctioribus cogitationibus , quot fidei , charitatis , aliarumque virtutum repetitis actibus ad cælestem hanc mensam adiret , scripto quodam ad extremum librum adiuncto constabit , quo omnem suum apparatus , frequentatosque virtutum actus exponit.

*Aedes sa-
ceras obit.*

Quando Festis vacuisque diebus iubebatur exercitandi corporis gratiâ ambulare , vnum semper alterumque Templum destinatò visitabat , inque his , ante omnia , augustissimam Eucharistiam tanto adorabat affectu animique ardore , ut surgente subinde abeuntemque socium ne aduerteret quidem , donec ab ædis limine redux eum sui admoneret ; ita sæpè à sensibus abductum , pendentemque ex Deo , ut neque videret , neque audiret omnino , dum proprio appellatus nomine ad societatem corporis animus quasi foras peregrinatus reuenteretur.

*Amor in
beatissimā
Virginem.*

Haud dissimili amore (qualis filij esse erga matrem solet) in beatissimam Virginem rapiiebatur , quam colebat religione tantâ , ut ad cultum